

## ARCHIMEDES

de seipſo.

*Ipſe Syracuſio ſurgens de ſanguine ciuis,  
Corripior patriæ dulcis amore meæ.*

*Clarus eram ingenio, Siculis cantatus in oris,  
Clara ſimul per me Sicilis ora fuit.*

*Quin rerum domina ut patriam circundaret urbem,  
Ars eſt Romanum noſtra morata ducem.*

*Sed bene quæ uetuit uictor, male corripit arma  
Miles, & è multis me tulit auſa manus.*

*Ni reſpexiſſet miſeram Germania ſortem,  
Me ſimul atq; meas commiſerata uices:*

*Abſuit inde parum mecum monumenta perirent,  
Plurima, in extenſos uiuere digna dies.*

*Quòd ſupero tenebras, cælo fruiturus aperto  
Poſthac, Germanis debeo, non Siculis.*